



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 27. Ab Episcopo Recinetensi luculentis prædijs donatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

verbum paulo antiquiores historici fecere, ne vana & incredibilia afferre viderentur. Quippe cum tam inusitatum & à condito æuo inauditum miraculum non dum Pontificia auctoritate firmatum esse constaret. At valetudo Pio Pontifici Romano pene moribundo in Urbis, ac prope dicam orbis totius Christiani oculis, euidenti miraculo restituta. Lauretanæ Virginis ope, immensum illi addidit nomen. Ex eo namque Aedes Lauretana omnes etiã remotissimas terras impleuit fama nominis sui: & vel ex vltimis orbis terræ angulis Lauretum peregrinos exciuit, quibus per opportunum paucis ante annis Laureti subsidium diuina prouidentia præpararat.

*Ab Episcopo Recinetensi luculentis prædijs donatur subsidio pauperum peregrinorum.*

## CAP. XXVII.

**N**icolaus Astius Episcopus Recinetensis vir sanctimonia pariter, ac doctrina inclytus fuit. hic, vt erat Lauretanæ Virginis eximia deditus, eius cultum omni ope fouere, atque augere statuit. Ingens quotidie peregrinorum pauperum multitudo, seu vota reddendi gratia, siue Indulgentias consequendi studio, confluebant Lauretum: quibus arca Lauretana benigne satis pro facultatibus subueniebat, largam singulis stipem impertiens. Hunc igitur benignitatis fontem, ne quando deficeret, certis prædiorum fructibus Recinetensis Antistes augendum existimauit. Complura is habebat luculenta sane, ac frugifera prædia ædi Lauretanæ propinqua. Ea Deiparæ Virginis donauit, dicauitque anno eius sæculi LVIII. Cuius donationis caput visum est hoc loco interponere, vt appareat simul quam eximia Nicolai Episcopi erga Lauretanam Virginem pietas extiterit; simul quantum pecuniæ, vel illis temporibus, cum nihil omnino possideret

Hier. Ang.

Ex Bull. In  
lij II. Pör.Liberalitas  
S. Domus  
in pauperes.

Lauretana Domus pauperibus aduenis erogarit. Id est eius modi: Cū Nicolaus Episcopus Recinetensis, & Maceratensis, qui Ecclesiam B. Mariae de Laureto Recinetensis Diocesis ex dispensatione sedis Apostolica obtinebat, considerans deuotionem continuam, & dilectionem sinceram, quam sedulo habebat ad praedictam Ecclesiam B. Mariae, ac peregrinorum, & aliarum personarum, quae tam ex votis, quam propter Indulgentiam consequendam, & aliorum debilibus, ac pauperum hominum numerum copiosum in dies ad ipsam Ecclesiam B. Mariae, ultra diem festum dictae gloriosissimae Virginis Mariae, confluentium, & ELEMOSYNAS IMMENSAS, QVAS CHRISTI PAUPERES EX DOMIBVS PRAEFATAE ECCLESIAE RECIPIEBANT, ET NECESSARIO RECIPIERE HABEBANT, & quae sequuntur. Quae res hoc exploratior esse debet, quod memoriae prodita est ab eo, cui pro suo officio, ac munere Lauretanus res exploratissimas esse oportuit.

His igitur facultatibus aucta domus Lauretana benignitate in aduenas auxit sua. Et huius largitatis fama religioni iuncta longe, lateque iucundissimum Aedis Lauretanae nomen diulgauit, omnes Lauretum inuitans. Quippe remotissimarum nationum egentes peregrini, qui opportuni illius subsidij participes fuerant, domos suos regressi, non magis religionem, quam benignitatem praedicabant Lauretanae Virginis. Ea res alios deinceps ad experienda quae audierant, accendit. Mira verò opportunitate huius famae per Vrbes, atque exteris etiam nationes strenue discurrenti parua dictu res magnas per idem tempus addidit vires.

*Lauretana historia summa à Praeposito Teremano in*  
*ade proponitur. Cap. XXVIII.*  
**P**etrus Georgius Praepositus Teremanus eximia integritate, ac prudentia vir complures iam annos Lauretanae